

TRACTATUS  
DE LEGIBUS

Lex est regula externa et remota actuum humanorum, sicut conscientia, seu dictamen practicum rationis, est eorundem regula interna et proxima.

Agendum 1<sup>o</sup> de legibus in genere; — 2<sup>o</sup> de praecipuis legum speciebus.

PARS PRIMA  
DE LEGIBUS IN GENERE

Dicemus, de legis natura, — auctore, — obiecto et subiecto, — promulgatione et acceptatione, — obligatione, — interpretatione, — dispensatione et cessatione.

CAPUT I.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS.

81. — DEFINITIO. Lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata (S. Thom. 1. 2. q. 90. n. 4.). Hinc differt a praecepto. Lex enim essentialiter fertur communitati a persona publica et pro bono communi, dum praeceptum proprie dictum etiam a persona privata emanare potest, et subditos privatos respicere in privatum eorum bonum. Tale est imperium patris in filium, aut Principis in aliquem subditum. Saepe tamen etiam leges praecepta dicuntur. Sic leges divinae Moysi in monte traditae praecepta Decalogi nuncupantur.

Multiplex discrimen est inter legem et praeceptum, scilicet 1<sup>o</sup> *Ratione iubentis*, quia legislator est persona publica, praecipiens vero potest esse persona privata. 2<sup>o</sup> *Ratione subiecti*, quia lex fertur in communitatem, praeceptum etiam in personam privatam. 3<sup>o</sup> *Ratione finis*, quia finis legis est bonum commune, finis autem praecepti bonum privatum (1).

(1) Intellige finem directum et immediatum; namque mediate et indirecte lex ad privatum cuiusque bonum, praeceptum vero ad bonum commune tendit: quatenus scilicet et commune omnium bonum in bonum redundat singulorum, et viceversa.

4<sup>o</sup> *Ratione loci*, quia lex afficit territorium, praeceptum vero personam, atque, ut aiunt, *ossibus haeret*. 5<sup>o</sup> *Ratione durationis*, quia praeceptum cessat morte praecipientis, lex vero non extinguitur simul cum legislatore.

DIVISIO. Lex multiplici modo distinguitur:

1<sup>o</sup> *Divina*, vel *humana*, prout Deum, aut hominem auctorem immediatum habet.

2<sup>o</sup> *Naturalis*, vel *positiva*, prout natura ipsa rationali, vel actu positivo legislatoris intimatur.

3<sup>o</sup> *Ecclesiastica*, vel *civilis*, prout a potestate ecclesiastica vel civili fertur.

4<sup>o</sup> *Moralis*, aut *poenalis*, vel *mixta*, prout sub sola culpa, vel sub sola poena, vel sub utraque simul obligat.

5<sup>o</sup> *Affirmativa*, vel *negativa*, prout praecipit actus positionem, vel illam prohibet. Hinc dicitur etiam *praeceptiva*, vel *prohibitiva*.

6<sup>o</sup> *Prohibens simpliciter*, vel *irritans*, aut *permittens*, prout actum illicitum tantum, aut invalidum reddit, vel agentem prohibet inquietari.

7<sup>o</sup> *Favorabilis*, vel *odiosa*, prout restringit vel ampliat libertatem (2).

8<sup>o</sup> *Scripta*, vel *usu servata*, prout mandato scripto fertur, vel sola consuetudine introducitur et servatur.

82. — QUÆR. *Quales sint proprietates seu conditiones legis humanae?*

*Resp.* Sunt sequentes, quae in ipsa legis definitione includuntur, scilicet, debet esse *possibilis*, *honestas*, *utilis*, *iusta*, *permanens* seu *stabilis*, et *promulgata*. — Ita ex prima parte Decreti, D. 4. can. 2.

1<sup>o</sup> *Possibilis*, idest accomodata moribus et circumstantiis personarum, etc.

2<sup>o</sup> *Honestas*, idest nihil statuens, quod inhonestum sit, ac bonis moribus seu rectae rationi aut divinae legi positivae repugnans; neque enim ad actus malos et ultimo hominis fini adversos obstringere lex potest.

3<sup>o</sup> *Utilis* bono communi, 1<sup>o</sup> quia bonum communitatis est finis essentialis et primarius legis; 2<sup>o</sup> quia lex est actus publicae potestatis, quae in solum bonum commune instituta est.

4<sup>o</sup> *Iusta*, idest secundum normam iustitiae distributivae, adeo ut alii non magis quam caeteri graventur, sed subditis cum aequalitate proportionis, spectatis eorum viribus et facultatibus, imponatur: secus in conscientia non obligat.

5<sup>o</sup> *Permanens*, seu *stabilis*, idest statuta sine tempore definito, ita

(2) Lex per se semper censetur quid odiosum. Sunt tamen leges, quae spectant ad favorem ampliandum, seu potius ad vincula minuenda. Eiusmodi lex est, quae declarat valida matrimonia a filiisfamilias absque consensu parentum seu etiam contra horum voluntatem contracta.

ut semel lata, nisi abrogetur, vel noxia evadat aut inutilis, tamdiu duret quamdiu stat communitas cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiae, pro quibus lata est.

6<sup>o</sup> *Promulgata*, quia lex est regula generalis et publica actionum, dirigens et obligans communitatem. Regula autem dirigere et obligare nequit communitatem, quam regit, nisi sit ei per promulgationem applicata.

## CAPUT II.

## DE AUCTORE LEGIS SEU DE LEGISLATORE

83. — Legislator dicitur Superior, cui sive independens ac suprema, sive subordinata potestas inest leges ferendi pro communitate, in quam habet iurisdictionem.

**Principia.** — I. Deus solus est legislator supremus et universalis, a quo necessario caeteri legislatores, quicumque sint, omnem suam potestatem accipiunt, sive *immediate*, sive *mediate*. Deus enim est regula summa et essentialis cuiuslibet ordinis, et ipse solus gaudet supremo dominio in creaturas rationales, quarum est principium et finis ultimus. — Constat etiam ex Scriptura: *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam.* Prov. 8. 15. 16. — *Non est potestas nisi a Deo.* Rom. 13. 1.

II. Ecclesia potestatem habet condendi leges, quae ad finem ipsi propositum assequendum conducunt (1).

Constat 1<sup>o</sup> ex Scriptura sacra. Sic enim Christus Petro, Matth. 16. 19.: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, etc.* — Et Luc. 10. 16.: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* — Item Act. 15. 28.: *Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstinatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato.* Porro verba: *Quodcumque ligaveris... qui vos audit, me audit... imponere vobis...* significant collatam Ecclesiae potestatem ligandi seu leges statuendi.

Constat 2<sup>o</sup> ex ratione. Ecclesia enim est societas perfecta in suo genere. Ergo gaudere debet potestate expedita ad proprium regimen necessaria. Atqui Ecclesia suo regimini providere non posset, nisi facultatem condendi leges haberet; multi enim sunt abusus reprimendi inter fideles,

(1) Utilissimum continget de hoc argumento legisse egregium opusculum, cui titulus: *Iuris Ecclesiastici Institutiones* auctore Camillo Tarquini e Soc. Iesu in Coll. Rom. Iuris Canonici professore, Romae 1862, et rursus 1868.

multaque ad Dei cultum promovendum aut servandum, et ad animarum salutem procurandam constituenda sunt. Ergo...

Constat 3<sup>o</sup> ex traditione et constanti Ecclesiae praxi, seu ex variis Constitutionibus apostolicis et Conciliis, quibus statuta disciplinaria condita sunt.

84. — III. Principes saeculares leges, quae ad finem temporalis felicitatis conducant, condere possunt.

Constat 1<sup>o</sup> ex Scriptura sacra, Prov. 8. 15.: *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt...* ut supra in I princ. Et 1. Petr. 2. 13.: *Subditi estote, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.*

Constat 2<sup>o</sup> ex ratione: etenim Principes a Deo habent potestatem regendi subditos, ut supra dictum est; atqui hanc potestatem exercere non valerent, nisi facultate leges statuendi gauderent. Ergo, etc.

IV. Semper obtemperandum est legitimis Superioribus aliquid iusta lege praecipientibus, sive immediate a Deo sive mediante populo eos auctoritatem recepisse existimes. — Ratio est, quia in utraque sententia sunt aequae a Deo societati gubernandae praepositi, ac propterea ab eo accepta pollent auctoritate. Hinc nullius momenti est in praxi controversia, utrum Principes saeculares *mediate* an *immediate* potestatem a Deo habeant.

Censenda autem est iusta lex, quoties de eius iniustitia apud viros doctos et probos communiter non constat; quia rectus ordo requirit, ut in dubio praesumptio Superiori faveat.

85. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quinam in Ecclesia leges condendi facultate polleant?*

*Resp.* Papa, Concilium generale, Episcopi et Concilia particularia.

1<sup>o</sup> *Papa*, seu *Pontifex Romanus pro tota Ecclesia*. Ipsi enim dictum est in persona Petri: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ioann. 21. 15. et 16. Vox autem *pasce* idem significat ac gubernare et regere. — Adde verba Matth. 16. 19. supra relata: *Quodcumque ligaveris, etc.* Papa enim est verus successor Petri in cathedra Romana; est proinde *Summus Pontifex, Summus Claviger, Pastor Pastorum, Christi Vicarius* in terris.

2<sup>o</sup> *Concilium generale* itidem *pro tota Ecclesia*. Concilium enim generale iuridice repraesentat (2) totam Ecclesiam docentem ac regentem; ergo leges condere potest pro tota Ecclesia. Verumtamen nihil potest Concilium generale, nisi Summus Pontifex sive per se, sive per Legatos ipsi

(2) *Repraesentare* heic est *sistere* gerere ex munere commisso; qui sensus *praesentem*, non vero vices quodammodo haereticus fuit iansenianorum proprius.

praesit, et eius decreta confirmet. Ecclesia enim, absente capite seu Papa, repraesentari non potest.

3<sup>o</sup> *Episcopi pro dioecesi.* Hoc enim necessarium est ad rectam dioecesis administrationem. Constat etiam ex illo Act. 20. 28.: *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hoc autem ius accipit Episcopus in sua canonica institutione. Nihil porro potest Episcopus circa legem Summi Pontificis, cum inferior in superiorem iurisdictionem non habeat. Nec proinde quidquam statuere potest, quod legi communi opponatur vel illam infirmet. — Statuta Episcopi etiam extra Synodum (audito tamen consilio Capituli) facta et promulgata, iuxta veriore sententiam eandem perpetuitatem habent ac Constitutiones synodales. — Ita Bened. XIV. *de Synod. dioec.* l. XIII. c. 5. n. 1. (3). — Archiepiscopi vero et Patriarchae leges ferre nequeunt pro dioecesibus suffraganeorum, quia non sunt Superiores proprie dicti, quamvis eorum lites ad se delatas dirimere possint.

4<sup>o</sup> *Concilia particularia pro provincia.* Etenim si Episcopi seorsim sumpti leges pro dioecesibus statuere valent, similiter et in Concilio, sive nationali sive provinciali, leges pro natione vel provincia constituere possunt. Attamen horum Conciliorum decreta ad S. Congr. Conc. Trid. mitti debent ut recognoscantur. Sic ex antiquo iure a Sixto V confirmato in Bulla *Immensa aeterni*, ubi de S. Congr. Concilii dicitur: *Provincialium vero (Conciliorum), ubi vis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendet et recognoscat.* Constat etiam ex Benedicto XIV *de Synod. dioec.* l. XIII. c. 3. ubi haec habet: *Ea (decreta), antequam promulgentur, transmitti iussit Sixtus V ad sacram Congregationem Concilii, non quidem ut postea confirmationem reportent a Sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. Non semel tamen accidit, provincialia Concilia non solum a sacra Con-*

(3) De hac re forte melius ita Scavini (*Th. Mor. Tr. 2. Cap. 1. q. 2. in not.*): *Communi usu inductum est, ut Episcoporum ordinationes datae extra Synodum, nisi ipsi Episcopi aliud expresse declarent, tunc tantum ut verae leges habeantur, cum omnes dioecesanos et clericos et laicos adstringunt: secus non nisi ut praecpta reputentur. Dixi extra Synodum; nam quae in Synodo conditae sint ordinationes, ut verae leges habentur per se perpetuo dura-*

*turae, etsi unum tantummodo subditorum coetum respiciant, cum in codice legislativo contineantur. Dixi nisi aliud Episcopi expresse declarent; nam semper ipsis liberum est etiam extra Synodum leges pro unoquoque dumtaxat coetu condere. Verum si de hoc clare non constet, illae non ut leges, sed ceu praecpta habentur ex communi consuetudine.* Adversus haec autem non multum roboris ea habent, quae Lambertinius loco citato ab A. disserit.

*gregatione Concilii recognosci, et, si opus fuerit, emendari, verum etiam a Summo Pontifice, ita petentibus Metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per apostolicas litteras confirmari.* Confirmatio vero Synodorum per Apostolicam Sedem duodus modis sedulo distinguendis fieri potest: in forma communi, vel in forma specifica. — V. Bened. XIV. *de Synod. dioec.* l. XIII. c. 5. n. 11. (4); et l. XII. c. 5. n. 13. Nec tamen transmissio ad S. Congreg. Conc. et multo minus confirmatio per Sedem Apostolicam necessariae sunt pro statutis Synodi dioecesanae. — Bened. XIV. *ib.* l. XII. c. 3. n. 6. (5).

86. — *QUAER. 2<sup>o</sup> An leges condere possint Capitulum Cathedralis, Sede vacante, Praelati Regularium, et Abbatissae, seu Monialium Superiorissae?*

*Resp. 1<sup>o</sup> Capitulum, Sede vacante, nihil innovare aut abrogare potest; sed dioecesim iuxta leges existentes gubernare debet. Attamen statuta, quae pro circumstantiis necessaria essent, ferre posset.* — S. Lig. n. 104. — Gousset, n. 129.

*Resp. 2<sup>o</sup> Praelati Regularium veras leges condere valent, sive in congregatione generali Ordinis, sive alio modo intra limites suae iurisdictionis iuxta proprias Ordinis constitutiones (6). Habent enim statuta a Summo Pontifice approbata, quae illis hanc facultatem tribuunt.*

*Resp. 3<sup>o</sup> Abbatissae vel Superiorissae Monialium non possunt leges proprie dictas ferre, cum iurisdictionis ecclesiasticae non sint capaces. Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res praecptas, vel circa ea quae ad profectum Monialium iuxta regulas conducunt. Habent enim ius praecipendi tum ex voto obedientiae a subditis emisso tum ex necessitate disciplinae, quae in communitate servari debet.*

(4) *In forma communi confirmari dicuntur statuta, quae non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice motu proprio et ex certa scientia... et talis confirmatio nihil novi iuris aut efficacitatis illis tribuit.*

*In forma specifica fieri (confirmatio) dicitur, cui praemittitur causae cognitio, et singula statuta diligenter expenduntur, ac deinde, nulla adiecta conditione, auctoritate Apostolica cum clausula, motu proprio alque ex certa scientia, confirmantur... Statuto confirmato in forma specifica, cum naturam induerit legis pontificiae, nulli inferiorum fas est derogare; immo ab hac*

*confirmatione tantas accipit vires, ut praevaleat iuri communi, cui caeteroquin sit contrarium.* Ita Bened. XIV., *De Syn. II. cc. ab A.*

(5) *Quod Ecclesiastica potestas eo se porrigat, ut suis legibus non parentes exteriori iudicio ac salubribus poenis coerceat et cogat, habes in damnatione propp. 4. et 5. Syn. Pistor.*

(6) *Inspiciendum est scilicet, cuinam haec potestas in propriis singulorum Ordinum Constitutionibus facta sit. Sane in Capitulo seu Congregatione non Praelatus sed Congregatio leges condit. Quod si haec potestas inest Generali Superiori, tunc Congregationis ope non indigebit.*

87. — QUAER. 3<sup>o</sup> *Quinam Principes saeculares potestatem condendi leges habeant?*

*Resp.* Omnes ii, qui suprema gaudent auctoritate, nec sunt alterius delegati, ut huius nomine agant; eiusmodi sunt Imperatores, Reges, Magistratus Reipublicae legitime constitutae, etc.; non vero Duces militum nec Praefecti provinciarum, qui proprio nomine agere nequeunt. — V. Cas. n. 79. et seq.

Si qui autem sunt, qui licet agant nomine proprio, nihilominus Superiori subdantur; horum leges a Superiore irritari aut reformari possunt, v. g. leges Principis feudatarii in ordine civili a primario Principe, sicut et in ordine ecclesiastico leges Episcopi aut Concilii provincialis, aut Praelati Regularis corrigi vel aboleri a Romano Pontifice possunt (7).

### CAPUT III.

#### DE OBIECTO ET SUBIECTO LEGIS

##### ARTICULUS I. — DE OBIECTO LEGIS.

88. — Obiectum legis generatim est quidquid lex praecipere vel prohibere potest.

**Principia.** — I. Obiectum legis sunt omnes et soli actus, quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest. Ex dictis sequitur:

II. Omnes actus indifferentes *distributive* sumpti obiectum legis esse possunt; nam cum actus eiusmodi conferre ad bonum commune possint, eo ipso possunt praecipere aut vetari (1).

89. **Quaesita.** QUAER. 1<sup>o</sup> *An actus heroici sub legem cadant?*

*Resp.* Generatim sub legem cadere non videntur (2), quia vires humanas excedere moraliter censentur, atque adeo eiusmodi lex careret ea dote, qua posset dici *possibilis*. Attamen aliquando, exigente bono communi, praecipere possunt. Sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitae, si detrimentum inde Respublica captura sit.

(7) Hoc valet etiam quoad Concilii oecumenici decreta; quae cum vim obligandi non habeant nisi accedente Romani Pontificis confirmatione, hic reformare ipsa vel reuocare potest. Ita S. Leo I. canones quosdam disciplinares in Synodo Chalcedonensi latos non admisit.

(1) Notissima est distinctio inter ea, quae prohibentur, quia mala sunt, et ea, quae mala sunt, quia prohibentur. Porro

postrema haec ambitu actuum per se indifferentium continentur.

(2) Haec quaestio, uti patet, fit de legibus humanis. Nam lex divina tum naturalis tum positiva obligare potest etiam cum vitae discrimine. Ita SS. Martyres mortem, eamque acerbissimam, non ex *supererogatione quadam*, sed ex obligatione subierunt.

QUAER. 2<sup>o</sup> *An lex humana possit praecipere actus mere internos?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Lex civilis certo non potest, quia sine his actibus legislator finem suum obtinet. — Praeterea de internis iudicare nequit.

2<sup>o</sup> Neque lex ecclesiastica iuxta plures id potest; quia (aiunt) legislata Ecclesiae potestas ad externam tantum fidelium gubernationem pertinet. — S. Lig. l. 1. n. 100., S. Thom., Suarez, Bened. XIV etc. contra alios qui probabiliter etiam affirmant, quia Ecclesia illimitatam potestatem a Christo accepit (3).

90. — QUAER. 3<sup>o</sup> *An lex humana possit praecipere actus mixtos, seu partim internos et partim externos?*

*Resp. Affirm.* Ratio est, quia actus mixti constituunt simul unum *morale indivisum*. Sic Ecclesia praecipit devotam attentionem in Missae celebratione. — Ita omnes.

QUAER. 4<sup>o</sup> *An lex humana praecipere possit actus externos occultos?*

*Resp. Affirm.* Quia potestatem habet dirigendi quidquid externum est. Actus enim occulti natura sua ab aliis non differunt; quod autem puniri nequeant, id per accidens contingit. — S. Lig. *ibid.*

QUAER. 5<sup>o</sup> *An Confessarius actus mere internos intungere possit?*

*Resp. Affirm.* Quia munus dirigendi poenitentes in via salutis hanc facultatem exigit. Hinc pias meditationes poenitentibus iniungere potest, — Voit, n. 163.

##### ARTICULUS II. — DE SUBIECTO LEGIS.

91. **Principia.** — I. Omnis homo nascitur et remanet subiectus legi naturali. Cum enim lex naturalis sit ipsamet divina voluntas praescribens rectae rationi consentanea, in mente cuiusvis hominis indelebili

(3) Prior opinio, quae Ecclesiae negat potestatem praecipendi actus mere internos, magis quadam extrinsecae auctoritatis specie quam ratione inniti videtur. Potior enim, quae offertur ratio, quod Ecclesiae potestas ad meram externam gubernationem spectet, vix aut ne vix quidem videtur toleranda; numquid enim ad meram externam gubernationem pertinet, quod directe attentionem in orando praecipiat, aut quod Regularibus certum sanctis meditationibus tempus praescribat?

Quod addunt, Ecclesiam nunquam eiusmodi actus praecipisse, et falsum allatis non paucis exemplis ostendi potest, et nihil per se concluderet; perperam enim

a negatione actus arguitur ad potentiae negationem.

Denique subdunt, Ecclesiam de his actibus iudicare non posse. Verum 1<sup>o</sup> negari potest illatio: numquid enim magis potest iudicare de interiori meditandi exercitio, quod tamen Regularibus praecipit? 2<sup>o</sup> Sed negari potest et antecedens. Licet enim id verum sit de iudicio, quod ab homine profertur per sententiam, at falsum est de iudicio, quod (ut ait Suarez *De Leg.* lib. 4. cap. 12. n. 4.) a legislatore fertur per legem, quando nempe lex per se ipsam punit delictum, v. gr. per censuram ipso facto incurrendam.